



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 101. Papæ responsum ad Legatos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. Concilium, quam quæstionem Pontifex  
A C. 1546 prudenter procul a Patribus arcendam  
 jusserrat, ut schismatis periculum evita-  
 retur. Altera etiam via, qua Patres  
 ingressuri essent in dogmata, suis non ca-  
 ret obstaculis, eoquod Cæsarei Episcopi  
 hoc argumentum minime tangi, unice ve-  
 ro morum emendationem urgeri, omni-  
 no postulent, ne Protestantes adhuc ma-  
 gis irritarentur.

## §. CI.

*Papæ responsum ad Legatos.*

*Pallav. n. 10.* Summus Pontifex suum ad Legatos re-  
 sponsum per cursorem specialiter  
 missum tanta celeritate deferri curavit,  
 ut illud intra biduum jamjam Tridenti  
 accepissent. In eo præprimis Legato-  
 rum consilia summopere commendabat,  
 de tribus tamen articulis eos commo-  
 nefecit. I. *Cum hanc morum ac juris-*  
*ditionis reparationem potissimum inten-*  
*dant Antistites, ea cautione rem Præs-*  
*des agerent, ut quodcunque periculum*  
*procul haberent, ne Patres ea constituta*  
*dilaberentur, vel segnius operam darent*  
*fidei tractationi, in eo fortasse votis*  
*Principum obsecundantes; quandoquidem*  
*dogmatum Decreta videbantur Ecclesie*  
*confirmationi adeo necessaria, ut illorum*  
*præcipue gratia Concilium fuisset con-*  
*stitutum.*



*Etum.* II. *Ut, dum removerentur obstacula libero jurisdictionis Episcoporum exercitio, ab Apostolica Sede, ejusque Administris injecta, una pariter consuleretur iis impedimentis, quæ a profana potestate inferebantur, quo curatio foret integra, & pars quælibet intra fines officii contineretur.* III. *Ut, quemadmodum Pontifex consenserat, ne illius partis emendatio, quæ proprie proximeque sui muneris erat, absque Synodi sententia decerneretur, ita similiter Synodus satius haberet, nihil in eo absque consensu Pontificis definire.*

Acceptis hisce Papæ jussis mox decretum fuit, quod præprimis de concionibus ac prælectionibus ageretur.

§. CII.

*Pachecus in quadam Congregatione de Theologo inter Canonicos instituyendo mentionem faciens.*

**H**abita est die secunda Maji quædam *Pallav. c. 4.*  
Congregatio, in qua de pluribus <sup>n. 2.</sup>

Decretis proxime condendis agebatur, unde in Ecclesiæ disciplina non pauca fuere immutata. Præprimis Cardinalis Pachecus ita perorabat: *Videtur mihi, Patres, quibus ea cura demandata, accuratius in recensendis abusibus se gessisse, quam feliciter in remediis excogitatis.*

Sæc. XVI.  
A.C. 1546.